

intecta et noua: graues offensus, reus gratia. Nam praeter  
 id, quod in tantis vitiis hominum plura culpanda sunt, quam  
 laudanda: tum si laudaueris, parcus; si culpaueris, nimius  
 fuisse dicaris: quamvis illud plenissime, hoc restrictissime  
 feceris. Sed haec me non retardant; est enim mihi proinde  
 satis animi. Illud peto praestruas, ad quod hortaris, eligasque  
 materiam, ne mihi, iam scribere parato, alia rursus cuncta-  
 tionis et morae justa ratio nascatur. Vale.

### VIII. C. PLINIUS MINUTIO FUNDANO SUO S.

«Hortatur ad secessum, propter studia et innocentiam  
 urbanae vitae praeferendum.»

Mirum est, quam singulis diebus in urbe ratio aut  
 constet aut constare videatur, pluribus junctisque non  
 constet. Nam, si quem interrogas, hodie quid egisti? res-  
 pondeat: officio togae virilis interfui; sponsalia aut nuptias  
 frequentavi; ille me ad signandum testamentum, ille in  
 aduocationem, ille in consilium rogavit. Haec quo die fece-  
 ris, necessaria; eadem, si quotidie fecisse te reputes, inania  
 videntur, multo magis quam secesseris. Tunc enim subit  
 recordatio, quot dies quam frigidis rebus absumsi? Quod  
 evenit mihi, postquam in Laurentino meo aut lego aliquid,  
 aut scribo, aut etiam corpori vaco, cujus fulturis animus  
 sustinetur. Nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse  
 poeniteat: nemo apud me quemquam (sinistris sermonibus)  
 carpit; neminem ipse reprehendo, nisi unum me, quum  
 parum commode scribo: nulla spe, nullo timore sollicitor,  
 nullis rumoribus inquietor. Mecum tantum et cum libellis  
 loquor. O rectam sinceramque vitam! o dulce otium, hones-  
 tumque, ac paene omni negotio pulchrius! o mare, o littus,  
 verum secretumque *μουσείον*! quam multa invenitis, quam  
 multa dictatis? Proinde tu quoque strepitum istum ina-  
 nemque discursum, et multum ineptos labores, ut primum